Jac Paton

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS PATON,

SCOTUS.

Nulla re homines proprius accedunt ad Deos, quam salutem hominibus dando. CICERO.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.

MDCCCXXVI.

VIRO

DOCTISSIMO, OPT MOQUE,

GUILIELMO JACKSON HOOKER, LL.D.

RHEI BOTANICÆ

IN ACADEMIA GLASGUENSI

PROFESSORI ORNATISSIMO, &c. &c. &c.

HOCCE OPUSCULUM

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

HAUD MINUS,

OB PERPETUAM EJUS BENIGNITATEM,

QUAM,

INNUMERA BENEFICIA ET CONSILIA

IN EUM COLLATA,

LUBENTISSIME CONSECRAT

ALUMNUS EJUS

AUCTOR.

VIRO EXIMIO,

JOANNI SPENCE, ARMIGERO,

AUCTOR.

Has Studiorum Primitias, ut pignus leve, sed sincerum, tuorum in me officiorum accipias precor; et, crede mihi, quamvis multa munera grandiora alii proferrent, nullus cum mente in te magis pia unquam donaret.

VALE.

Not rich, I render what I may,
I seize thy name in haste,
And place it in this first Essay,
Lest this should prove the last.

COWPER.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

Arabum Schola scriptores primos de Rubeolæ, Variolæ, atque Scarlatinæ historia curationeque produxit.

His antiquis, ac etiam auctoribus recentioribus, hi morbi sæpe confundibantur, et sub variis nominibus, esse eosdem, et tantum paululo inter se differre dicebantur.

Etsi horum morborum origo nunquam certe detegi possit, attamen puto, recentem auctorem (Lieut. Col. Mark Wilks*) claris indiciis osten-

* Historical Sketches of the South of India, vol. III. p. 14.

disse, horum maxime virulentum, nempe variolam, seculi sexti circiter initium, morbum novum in India fuisse, unde, circiter annum Domini quingentesimum sexagesimum nonum, Arabiam venit, exinde in Africam Europiamque Saracenis belligerentibus latus fuit.

Rubeola et hoc et omnibus seculis et terris, habita erat morbus contagiosus, sæpe periculosus, et nonnunquam fatalis: hos alicujus ætatis, sexus, aut corporis constitutionis invadit, at juvenes ei procliviores sunt, quam homines provectiore ætate; tamen dictum erat a Doctore WILLAN, infantes lactentes, non tam facile, quam mamma disjuncti, ea affici.

Hoc modo a celeberrimo CULLEN Rubeola definita est, "Synocha contagiosa cum sternutatione, epiphora, et tussi sicca, rauca."

"Quarto die, vel paulo serius, erumpunt papulæ exiguæ, confertæ, vix eminentes, et post tres dies in squamulas furfuraceas minimas abeuntes."*

Hic morbus ullo anni tempore epidemicus

* Gen. Morb.

fiat; at hyme ac vere, maxime valere, atque gravissimus esse dicitur; æstate et autumno rarior evadens, multo minus periculosus.

Inter hanc et Scarlatinam, Variolamque, postquam certis indiciis, diagnosis constituta erat, creditum fuit eum modo cursu vitæ semel ullos adoriri; et generaliter adhuc idem dici potest; etsi nonnunquam quidam plus una vice, eo implicentur, atque Rubeola sine catarrho, ad quam mox animadvertimus, hoc præcipue dignoscitur, quod a morbi vulgaris impetu, minime quenquam tutum redit.

Hic morbus decem aut quatuordecem dies a tempore contagio erat recepta in corpus accedere solet; etsi, ob res varias, impetum unum aut alterum diem, serius faciat.

Hujusce morbi videntur esse tres distinctæ varietates, nempe, Rubeola vulgaris, Rubeola sine Catarrho, et Rubeola Nigra.

Rubeola Vulgaris vocatur, quum eruptio modica promineat in cute, se super os faucesque diffundens, et quum simul, tussis dura et arida adsit, oculique inflammanturatque madent.

Rubeola sine Catarrho (sive Rubeola Incocta) quum eruptio, sine febri aut catarrho, vel modo cum levissimis, cursum suum regularem tenet, nullam salutem contra morbum vulgarem, prebens.*

Rubeola Nigra, quum desquamationis solito tempore, eruptio lividam faciem induat, diutius perstet, et simul invadit languor et pulsus celer, et febris Typhoidea forsitan urgeat.

His prolatis, primo de symptomatibus, quæ has singulas comitantur varietates supradictas; quo modo hic morbus ab aliis quibus confundi potest, distinguatur; deinde de indiciis, quæ periculum minentur aut spem ostendant; et denique de ratione medendi pauca dicere conabimur.

Rubeola Vulgaris.—Hæc, ut alia exanthemata, a solito rigore febrili incipit, quem cito sequuntur calor major, vultus rubor, pulsus frequens et durus, sitis, anorexia, vomitus, raucitas, levisque dyspnœa.

* Willan on Cutaneous Diseases.

Gravitatis sensus in capite atque oculis, ad somnum constans proclivitas, seu coma, sæpe adsunt: Oculi quoque inflammati, rubri, et aquosi sunt, membranaque mucosa narium etiam inflammata, ab ea mucus tenuis, et acridus, sternutationem frequentem excitans, distillat.

Circa præcordia anxietatis magnæ, gravitatis aut ponderis sensus, dorsi, membrorum atque lumborum dolores, item vultus, pruritus molestus, eruptionem plerumque antecedunt, quæ circiter tertio die vespere, aut quarto mane fere sese ostendit.

Plerumque prima eruptionis in vultu et gutture videtur, et supra truncam extremitatesque se paulatim serpit; at in his vulgo viginti quatuor horas apparet postquam illos pervasit.

Eruptio primo, e maculis rubris minutissima consistit, quæ pro brevi tempore, disjunctæ ac distinctæ sunt, at numero et magnitudine augentibus, ita confluunt, ut non separatim videantur; etsi tactu, præsertim in vultu, quo multo magis quam in trunco prominent, facile distingui possint.

In quibusdam eruptio etsi vivida, non est diffusa; tunc pene consistit ex maculis rotundis, aut irregularibus, at pro maxima parte semilunatis, cute interveniente coloris naturalis.

In ægris provectiore ætate eruptio multo magis confluit, quam infantibus non unum annum habentibus; in iis super pluribus locis, præsertim facie et manibus, potius papularum speciem induit, quæ est varietas cui nomen Rubeolæ Varioloides inditum erat a celeberrimo CULLEN, et quæ item nota est in vernaculo lingua nomine (*Nirles*).

Duos dies priores, rubor vultus non recedit, at etiam floridior fit; tertium autem diem, rubicundus in colorem fusciorem mutatur, quæ post unum diem aut duos, omnino evanescit.

Rubor truncum extremitatesque eodem modo retrocedit, quo erupit; plerique unum aut duos dies diutius, quam super vultu perstans.

Quartum circiter diem, fauces coopertæ sunt maculis rubris, quæ proximo die sparsæ aut interstinctæ videntur; hinc plerumque gutturis asperitatem, raucitatemque, et catarrhum auctum oritur.

Febris in hoc, ut in aliis ejusmodi morbis, plerumque mane remittit, regreditur violentia aucta vespere.

Severitas eruptionis, etiam aliorum symptomatum, a violentia febris antecedentis multum pendit; quum ea sit mitis, hæc sunt multa leviora; et vice versa, etsi interdum post febrem mitissimam, eruptio est vividissima, aut pneumonia sævissima aut fatalis sequitur.

Interdum eruptione facta, febris omnino discedit, at hoc raro evenit; sæpius fit, quod modo nausea vomitusque minus urgent, dum febris permanet, vel una cum aliis symptomatibus sæviat, donec tempore desquamationis; non autem tum semper subsedit, at contra perstet, vel una cum comate, dyspnœa, adeo intendatur, ut multum de eventu sit timendum.

Quum res ita se habet, pneumonia sæpe supervenit; et diarrhœa, si non antehac adfuerit, accedit; et ad morbi finem molestia aut periculosa manet.

Quando, in ulla parte, eruptio retrocedere cæpit, cuticula fit arida et in squamulas furfuracias minimas delabitur; a quo prurigo molesta

oritur, quæ a septimo ad decimum diem aut diutius permanet, in quo processus desquamationis consistat; et plerumque diarrhœa levis sua sponte supervenit, et appetitus ciborum augetur eo tempore. In quibusdam, diarrhœa fuisset paulo antehoc, aut diutius, sed ea res nullius momenti, nisi eruptionem impedire aut repellere videatur.

Quum eruptio nimis subito se retrahit, vel nunquam satis efflorescit, post utraque, sæpe symptomata maxime infausta accedunt.

Si morbus præter solitum fuerit gravis, eum sequatur, super corpus pustularum inflammatarum eruptio, quæ ulcerando evadunt molesta, at sæpius sine suppurando decedunt.

In quibusdam falso putetur, hoc variolam fuisse, post rubeolam se ostendentem; et ubi progressu Rubeolæ, infectionem fuisse inertem. In aliis exemplis, quum morbus fuerit gravis, eruptio herpetica circa os, aut vulvæ gangrena, febris hectica diu permanens post morbum primarium sequetur.

Præsertim si proclivitas scrofulosa adsit, Rubeolam etsi mitem sequantur, tumor glandu-

larum, pneumonia, phthisis, tussis spasmodicæ naturæ pertussi similis et quæ quum catarrhus urget ullo tempore cursu vitæ recurrat, tarsorum inflammatio chronica et viscerum obstructiones.

Rubeola uterum paululo affecit, etsi, non tanto ut Variola, nonunquam faciens catameniam apparere abnorme; non tamen ita ut fœminas gravidas valde noceat; HEBERDEN enim dicit in Commentariis ejus, se nunquam abortum vidbesse, quod huic causæ adscribi potuit.

In iis hoc morbo absumptis, pro maxima parte, modo pulmones, intestinæ aut cerebrum malè affici videntur; pulmones præcipue gravia signa inflammationis ostendentes.

Quum aeger progressu eruptionis (quod raro accidit) moritur; trachea atque bronchorum rami majores sæpe ea cooperti inveniuntur, quod pro tussis violentia, dum ea manifesta maneat, rationem reddat.

Quum pneumoniæ signa fuerunt gravia, serum vel puri vel sanguine commistum in pleuram aut bronchias effundatur, sed sæpissime adhesiones pleuræ inveniuntur.

Cum gravissima diarrhœa existit ita frequenter, nonne esset ut in aliis plurimis febribus, aut erosio aut inflammatio membranæ mucosæ intestinarum?

Doctor HOME hujus loci (Edinensis), Morbillos, per inoculationem propagari posse ostendit: quinetiam indicia pulmonis affecti in iis tali modo infectis abesse dicitur; alii tamen inoculationem morbum vehementiorem inducere affirmant, et profecto hæc propagationis ratio minime in usu generali esse videtur.

Rubeola sine Catarrho (sive Rubeola Incocta). In hac varietate, quæ interdum quum supra dicta sit epidemica occurrit, eruptio sine tussi, aut respirandi difficultate, seu oculorum inflammatione, dum pulsus parum mutatus et febris omnino absint, varia sua stadia pervadit.*

Interdum intervallum plurium mensium vel etiam annorum, inter hanc, et sequentem Rubeolam Vulgarem, observabatur intercedere, at hæc posterior sæpius tertio aut quarto die, post primam occurrit.†

* Willan on Cutan. Diseas. p. 236.
† Bateman's Synop.

Quum Rubeola epidemica est, qui antè laboraverunt hoc morbo, nunc aggredeantur catarrhi symptomatibus sine ulla eruptione, nunc eruptione minima febre et nullo catarrho.*

Nonne res ita se habet, ut impetus secundarius hujusce morbi, a primario moderetur ut in variola?

Rubeola Nigra.—Hæc varietas plerumque debiles aut infirmos adoriri viditur.

In his septimo aut octavo die eruptio subito fit nigra, vel color purpureus cum flavo commisto.

Eruptio in hoc statu, decem dies et aliquando multo diutius permansit, cum parum molestia ægro, nulla alia signa febris, præter pulsum acceleratum et levem languorem exibens; Doctor WILLAN modo exemplum unum hujusce varietatis vidit, quod fataliter terminavit; nam pro maxime parte non periculosa fuit, sed acidis mineralibus aliisque tonicis facile submota fuit.

Rubeola Maligna, de qua quidem auctores

* Burns' Midwifery, p. 604.

vetustiores mentionem fecerunt, a Doctore WILLAN clare ostendetur, quam scarlatina maligna nihil aliud erat.

DIAGNOSIS.

Signa qua, in primo stadio rubeolam a catarrho distinguunt, sunt symptomatum severitas, oculorum major inflammatio, et coma quod simul adest: in stadio provectiore, eruptio, inter duos morbos manifestum facit discrimen.

Inter Rubeolam et alia exanthemata dum febris adsit, antequam eruptio apparuerit, tussis dura atque arida, raucitas, sternutatio, oculi aquosi, dyspnoea, ad somnum proclivitas, vel coma majus in ea dignoscent.

Quum eruptio in conspectum venit, in Scarlatina latius diffunditur, dum in Rubeola, plus cutis colorem sibi propriam retinet.

In Rubeola papulæ tactu facilius sentiuntur, et duos dies serius quam in Scarlatina eruptio se ostendit.

Præterea cutis calore majore et gutturis et faucium ulceribus Scarlatina facile dignoscitur.

Quoque in eorum recessione, alter ab altero distinguatur, nam Rubeola in squamulas minutissimas abit, dum in Scarlatina, cuticula in squamas majores, præsertim a plantis pedum, palmisque manuum, ex quibus, plerumque in Rubeola nulla separatio accidit.

Etiam sequelis, hi morbi inter se dignoscantur, ut Rubeola, pneumonia, phthisi pulmonum, vel ophthalmia, dum Scarlatina, hydrope externa aut interna, vel gangrena, sæpius secuta est.

Variola cum Rubeola confundatur quum eruptio primo sit maxime confluens; sed in una violentia febris et in altera catarrhi symptomata facile inter eos dignoscunt; et ut eruptio modo pro brevissimo tempore similis manere potest, cito clarissima signa apparent, quibus certissima diagnosis fiat.

PROGNOSIS.

Hic morbus non valde periculosus est habendus, et semper fauste terminat, quum cito eruptio copiosa apparet et brevi tempore des-

quamatione abeat, et mitis sequitur diarrhœa, una cum appetitu cibi aucto, et quum quoque cutis fiat humida, et expectoratio libera, sine ullis pneumoniæ symptomatibus.

Æstivis mensibus, Rubeola plerumque habetur esse morbus mitis, vix ulla febre generaliter eam comitante, et symptomatibus catarrhi levissimis se ostendentibus; sed tempore hiberno, dicitur esse gravior et periculosior.*

Hæc symptomata ducenda sunt infausta, quum post eruptionem se ostendentem, nausea et vomitus manent; quum cutis sit calida, arida, et aspera, aut respiratio accelerata atque difficilis, cum tussi gravi, thoracis dolore et pulsu præter solitum duro.

Pneumonia cum diarrhœa symptomatica gravi conjuncta, dorsi atque lumborum dolores magni et fixi eruptionem antecedentes, ac oculorum capitisque dolor magnus, coma atque delirium haud parvum, eruptionem sequentes, sunt symptomata infaustissima.

* Willan, p. 227.

Quum eruptio subito recedat, aut ruborem diutius solito retineat, aut in ægris valde infirmis, Rubeola Nigra appareat, aut quum spasmi artuum, vel subsultus tendinum superveniant, de vita ægri timendum sit.

Ut in Scarlatina, citius eruptio videtur, plerumque symptomata sunt leniora; pro maxima parte, eruptio tarda comitatur cum determinatione sanguinis cuidam internæ parti.

RATIO MEDENDI.

Etsi hujusce morbi plurima exempla sunt mitissima ut vix ullam curam egent, tamen multa adeo gravia sunt, ut cum medico peritissimo infausta fuissent.

Quum morbus mitis est vix ulla remedia necessaria sunt, quam mundum et frigidusculumque esse ægrum, atque regimen antiphlogisticum eum habere et cum lenissimis purgantiis alvum facile reddere.

Si oculi afficiantur, cubiculum obscurare oportet, ne ullus e luce stimulus admittatur.

Morbus nonnunquam speciem magis infaustam induit, ita ut, non medicamentis tam mitibus cohibeatur, quapropter remedia potentiora, ut missio sanguinis, Epispastica, Cathartica, Emetica, Diaphoretica, Aspersio tepida, et Demulcentia utilissima sint, de quibus singulis pauca dicere peragam.

Detractio Sanguinis.—Omnes putaverunt, hunc morbum valde ad naturam inflammationis tendere, quamobrem plerique auctores, ut remedium efficacissimum sanguinis detractionem laudaverunt; etsi de tempore in quo utilissima est, minime consentiant.

MORTON existimavit sanguinis missionem utilissimam esse in eruptionis progressu, quod tum morbus in grado inflammationis altissimo esset: SYDENHAM in primo stadio morbi aut progressu eruptionis, nimis ægrum debilitatum esse putaret, quamobrem ea post ejus recessionem facta fuit.

MEAD et HEBERDEN plus consulto, sine cura eruptionis, in ullo morbi stadio, sanguinem detraxerunt, quando inflammatio symptomatica urgeat.

Quum eruptio facta est, aut in ullo alio stadio morbi, si febris magna sit et pulsus durus, validus et frequens, tussis gravis, respirandi difficultas magna, thoracis dolor, aliaque pneumoniæ symptomata adsint; sanguinem detrahere non modo utilem sed necessariam haberem, et postea, ut opus sit, thoraci cucurbitas aut hirudines admovere.

Aliquando, infantes inflammationis symptomatibus tam subito invaduntur, ut quasi suffocatione opprimi videantur, tum aut a brachio aut vena jugulari, sanguis detractus esset.

Quum coma grave adsit aut delirium, seu sanguis magno impetu versus caput feratur, necesse sit id radere, eique, si æger sit infans, decem aut plures hirudines admovere; at si ille sit ætate provectiore arteria temporalis sit secta, et sanguis detrahatur donec symptomata leventur.

Epispastica aut Rubefacientia. Si post sanguinis missionem, dyspnœa, thoracis dolores, coma grave, seu delirium adhuc manent, emplastrum vesicatorium aut sinapismus parti affectæ admotus, sæpe maxime prodest. Quum

eruptio non mature facta est, aut nimio cito recedat, cute excitante, balneo, in quo aliquantum sinapios infusum sit, aut sinapismo magno ad alterum aut utras extremitatum, grave periculum sæpe arceatur.

Cathartica. Plerumque auctores, de usu purgantium libera, in hoc morbo, jubent cavere, nam si diarrhœa gravis superveniant, eruptionem viditur impedire, attamen necesse est per totum morbi progressum, purgantiis lenissimis, facilis fiat alvus. Quum fæces sunt fætidissimæ aut nigræ, aut quum desquamatio accidit sine diarrhœa solita, tum lenia cathartica commodissime sint adhibenda.

Quum sanguis magno impetu ad caput feratur, una cum aliis remediis, cathartica fortia multum prodesse reperta fuerunt.

Emetica. Hæc variis morbi stadiis utilia sunt, nam apud initium, actionem febrilem mitigant, et symptomata sequentia multa leviora reddant, præsertim si acridæ materies, quæ ea graviora fecissent, iis, a primis viis ejectæ fuissent.

Ægro vexato, in bronchiis aut trachea muco

tenaci, Tartratis Antimonii Emeticum, partim mechanica actione sua in pulmonibus, partim expectoratione promovenda, maxime prodest.

Diaphoretica. Quum febris symptomatica magna est ante eruptionem, quoque quum eruptio fit nimis tarda, sive nimio cito retrocedit, tum aliis remediis diaphoretica utiliter adjecta fuerint.

Optimum erit Tartras Antimonii partitis dosibus adhibita una cum balneo aut semicupio calido, atque cæteris regiminis diaphoretici.

Aspersio Tepida. Quod hic morbus Catarrho adeo similis est, et ad pneumoniam semper proclivitatem habet, usus affusionis frigidæ, modo a celeberrimo CURRIE de Liverpool commendato, contraindicatus est: tepida tamen aspersio in ejus loco usurpetur, ubi priusquam eruptio se ostenderit febris symptomata gravia sint, quæ pulsus frequens et validus, cutis calida et arida indicant; quum neque pulmones neque ullum aliud organum internum inflammatione affectum fuerit.

Demulcentia et Expectorantia. Quando tussi frequenti et dura æger vexatur, mistura

adhibetur mucilaginosa aut oleosa, cui hyoscyami aut opii paucæ guttæ adjiceantur: sed quum ulla inflammationis signa adsint, quæ usum ullorum stimulorum prohibeant, Tartras Antimonii, dosibus partitis cum mistura mucilaginosa adhiberi debet. Tamen in omni morbi stadio, optimum expectorantia est inhalatio vaporis aquæ.

FINIS.